



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1740. usque ad annum 1742

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1787**

**VD18 90119649**

§. 73. Franciæ Regis declaratio circa hoc Pontificis Breve & Constitutionem  
Unigenitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67882](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67882)

§. LXXIII.

Sæc. XVIII.

A. C. 1742.

*Franciae Regis declaratio circa hoc  
Breve & Constitutionem Uni-  
genitus.*

Ne vero hujus Brevis observantiam  
Parisiense Parlamentum ulla tergi-  
versatione eludere posset, ipsemet Rex  
illud ad diem decimam Decembris Ver-  
salias convocavit, ipsamque Curiam in-  
gressus, in augustali folio hanc mentis  
suae declarationem, quæ etiam postea  
Rege adhuc præsentem die decima tertia  
præfati Mensis Parisiis Parlamenti actis  
fuit inserta, prælegi iussit:

*LUDOVICUS per Dei gratiam  
Rex Francia & Navarra omnibus  
præsentibus literas inspecturis salutem.*

„Omni tempore totam nostram soli-  
„citudinem eo convertimus, ut diri-  
„mantur tumultus in regno nostro oc-  
„cassione Bullæ *Unigenitus* exorti. Eo  
„sine impendimus auctoritatem nostram  
„partim, ut huic Constitutioni debita  
„veneratio & submissio deferatur, par-  
„tim ut præpediatur corruptela, qua  
„quidam illa abutuntur, dum eidem at-  
„tribuunt ejusmodi prærogativam, a-  
„liosque effectus, quos tamen ex natu-  
„ra sua habere nequit. Præprimis no-  
„bis

Sæc. XVIII. „bis vel maxime expedire visum est, ut  
 A. C. 1742. „præscriberetur rigorosum silentium cir-  
 „ca quæstiones nil profuturas, nisi ad  
 „turbandam tranquillitatem publicam.  
 „Solatio maximo Nobis cesserat, quod  
 „Sanctissimus Pater Noster, summus  
 „Pontifex, amoris nostro erga religionem  
 „vicem justam rependerit, tribuendo  
 „intentioni nostræ encomia, qua procu-  
 „rare authoritati Ecclesiæ debitam obe-  
 „dientiam, conservare pacem, & tur-  
 „batores pacis reprimere intendimus:  
 „nec sine gratitudinis sensu recepimus  
 „testimonium, quod paterna bonitas  
 „hujus sancti Pontificis, tam digne oc-  
 „cupantis Sedem S. Petri, in tuis ad  
 „Nos litteris reddidit. Itaque eodem  
 „spiritu & desiderio animati consum-  
 „mandi opus pro bono Status tam ne-  
 „cessarium credidimus, deberi a Nobis  
 „partim pro executione legum præce-  
 „dentium statuere nonnullos articulos  
 „circa diversa puncta, quæ ansam præ-  
 „buerunt novellis controversiis, partim  
 „ad abolenda ea omnia penitus, eorum-  
 „que memoriam, quæ ex utraque parte  
 „acta sunt occasione harum litium.  
 „Ex his & aliis causis animum nostrum  
 „siliaris Curæ, & ex nostra certa scien-  
 „tia, & ex plenitudine potestatis, at-  
 „que ex authoritate Regia, ediximus,  
 „de

„declaravimus ac præcepimus, atque  
 „per Litteras præsentis manu nostra si-  
 „gnatas, edicimus, declaramus & præ-  
 „cipimus, volumus, Nobisque placet

Sæc. XVIII.  
 A.C. 1742.

I. „Ut patentes Litteræ & Declara-  
 „tiones, partim a Colendissimo Domi-  
 „no & Atavo nostro Rege Defuncto,  
 „partim a Nobis de Constitutione *Uni-*  
 „genitus editæ, atque in Acta publica  
 „Curiarum relatæ, juxta earum for-  
 „mam & tenorem executioni manden-  
 „tur; ac consequenter, ut omnes no-  
 „stri subditi præfatæ Constitutioni reve-  
 „rentiam & subjectionem debitam de-  
 „ferant, quin tamen illi tribui denomi-  
 „natio, proprietas, & vis (caractère,  
 „ni les effets) Regulæ fidei (*ex sua na-*  
 „tura) possit.

II. „Nolumus tamen, rigorosum si-  
 „lentium a nostris declarationibus præ-  
 „scriptum, quod inviolabiliter observari  
 „volumus, sic intelligi, ut præjudicare  
 „possit juri Archiepiscoporum & Episco-  
 „pum, instruendi Clericos & populos  
 „suæ curæ concreditos. Exhortamur  
 „tamen & obligamus prædictos Archi-  
 „episcopos & Episcopos, ut in exerci-  
 „tio suarum functionum se contineant  
 „intra limites charitatis & moderatio-  
 „nis Christianæ, atque evitent ea om-  
 „nia,

Sæc. XVIII. „nia, quæ turbare possint tranquillita-  
 A.C. 1742. „tem publicam.

III. „Articulus trigessimus quartus  
 „Edicti, editi mense Aprili anno 1695.  
 „juxta formam suam & tenorem execu-  
 „tioni mandetur; consequenter omnes  
 „caussæ & actiones civiles concernen-  
 „tes administrationem & recusationem  
 „Sacramentorum deferantur ad Judices  
 „Ecclesiasticos exclusis omnibus Judici-  
 „bus & Tribunalibus sæcularibus, qui-  
 „bus injungimus, ut ejusmodi causas  
 „remittant, excepta tamen, & rema-  
 „nente absque præjudicio appellatione  
 „de abusu. Quod attinet ad querelas  
 „& actiones criminales in hac materia,  
 „eæ deferantur tam ad nostros Judices  
 „habentes potestatem cognoscendi in  
 „causis regijs, & cognoscendi de  
 „causis appellationum ad nostras Cu-  
 „rias; quam ad Judices Ecclesiasticos,  
 „quoslibet horum circa ea, quæ illos  
 „concernunt, atque ad competentiam  
 „sæc. spectant, hoc est, ad nostros Ju-  
 „dices ratione casus privilegiati, & ad  
 „Judices Ecclesiasticos ratione delicti  
 „communis, idque totum conformiter  
 „ad Constitutiones, quin tamen Curie  
 „nostræ ac Judices possint quocunque  
 „modo vel sub quacunque expressione  
 „præcipere, ut Sacramenta admini-  
 „strentur, quamvis Curie nostræ & Ju-  
 „di-

„dices dictare possint convenientem pæ- Sæc. XVIII.  
 „nam in eos, qui erunt culpabiles in A. C. 1742.  
 „administratione vel recusatione Sa-  
 „cramentorum.

IV. „Non tamen poterunt judi-  
 „cialiter conveniri seu accusari Paro-  
 „chi & alii Clerici obligati ad admi-  
 „nistrationem Sacramentorum ea de  
 „causa, quod Sacramenta denegaverint  
 „illis, qui fuerint personaliter condem-  
 „nati, & juridice censura Ecclesiastica  
 „(excommunicationis, suspensionis, vel  
 „interdicti) innodati, si decretum exe-  
 „quendi censuram, ex causa inobedien-  
 „tiæ erga auctoritatem & decisiones  
 „Ecclesiæ, præsertim erga Constitutio-  
 „nem *Unigenitus*, incursum adhuc sub-  
 „sistat, vel illis, qui ipsimet suam ino-  
 „bedientiam erga præfatam Constitu-  
 „tionem publice prodiderint eo ipso  
 „tempore, quo admitti postulant ad par-  
 „ticipationem Sacramentorum. Hor-  
 „tamur tamen, quin etiam injungimus,  
 „ut Archiepiscopi & Episcopi invigilent,  
 „ne prædicti Parochi & alii Presbyteri  
 „illis indiscretas interrogationes propo-  
 „nant, quibus Sacramenta ministrant.

V. „Præterea volentes oblivioni  
 „tradi omnia hactenus occasione turba-  
 „tionum concitatarum acta, præcipi-  
 „mus, ea omnia haberi & quoad effe-  
 „Hist. Eccles. Tom. LXXVII. Z z etum

Sæc. XVIII. „ctum reputari pro non actis. Simili-  
 A. C. 1742. „ter volumus, ut omnes actiones, De-  
 „creta, processus, Rescripta, Sententiæ,  
 „seu judiciales determinationes, in hac  
 „materia factæ maneant sine consequen-  
 „tia, & sine omni effectu; consequen-  
 „ter ut illi, contra quos præfati pro-  
 „cessus formati fuerint, & prædicta de-  
 „creta, sententiæ, vel determinationes  
 „judiciales editæ, vigore præsentium  
 „Litterarum in suum priorem statum,  
 „& in suas functiones redeant. . . Hæc  
 „est nostra voluntas. . . Verfallis 10.  
 „Decembris 1756. Ex Typographia  
 „Regia.“

Hanc Regis declarationem unacum  
 summi Pontificis Brevi actis inserere,  
 Parisiense Parlamentum aliquamdiu re-  
 nuit, variasque difficultates opposuit:  
 attamen Rex illam non modo confirma-  
 vit, sed etiam illibatam servari, die vi-  
 gesima tertia Januarii anno 1757. præ-  
 cepit, Parlamenti Deputatis declarans,  
 se judicasse, ad pacis ac tranquillitatis  
 publicæ conservationem Parlamento sa-  
 tis datum esse, si puniendi eos, qui  
*aperta injustitia* petentibus Sacramenta  
 denegant, & appellantes ab abusu re-  
 cipiendi potestatem habeant. Prius-  
 quam hæc agerentur, tam Parisiense  
 Parlamentum, quam alia Franciæ tri-  
 bunalia instructiones Pastorales pro Con-  
 stitu-

stitutionis observantia editas, necnon Sæc. XVIII.  
Epistolam encyclicam Parisiensis Ar- A. C. 1742.  
chiepiscopi, imo ipsum etiam Breve  
Benedicti XIV. proscripserunt: post fa-  
ctam tamen Regis declarationem ho-  
rum ausus fuere repressi.

## §. LXXIV.

*Ludovici XV. Franciæ Regis epistola  
ad Papam.*

Postquam Ludovicus Franciæ Rex  
Breve Apostolicum unacum Bene-  
dicti XIV. literis paterno affectu plenis  
receperat, ingenti perfusus gaudio quan-  
tocyus Comiti de Stenvilla negotium  
dedit, ut Regis nomine summo Pontifi-  
ci filiale gratitudinis obsequium exfol-  
veret: ipsemet vero Rex dicto Breve,  
& Regia declaratione Parlamenti tabu-  
lis inserta, die decima sexta Decem-  
bris Versalliis hæc ad Papam rescripsit:

*BEATISSIME PATER!*

„Literæ encyclicæ, quas Sancti-  
tas sua ad Regni mei Episcopos nuper-  
„rime in suis Cleri Gallicani comitiis  
„congregatos dedit, opportuno tem-  
„pore ad me perlatæ sunt, moxque Co-  
„miti de Stenvilla mandavi, ut Sancti-  
„tati suæ testaretur, cum quanta animi  
„voluptate pretiosum hoc Apostolici sui  
„zeli suæque eruditionis monumentum

Z z 2

„re-